



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Afra Martyr. 5. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Aug.
nni-
MA-
jam
ures,
diit
atem
ndo
nem
mus
arus.
ique
'ont.
it &
n or-
n ge-
lum?
pla-
rabo.
totius
ianus
Bern.
ti.
DVM
o ite-
t, an
de sit
ontra
en au-
m ad-
regni
. rege
nunus

s. Aug. VITÆ S A N C T O R V M . 383
munus est arbitratus, dicenti ad populum Aidano
Antistiti interpretem assistere. Pium animum il-
lud prodit, quod sub solemnes Paschatis dies non
modò qui mensæ illati erant, cibos, sed ipsam
etiam argenteam lancem in frusta cedere & absu-
mi à rogatoribus voluerit. Aidanus, quem tum
mensæ adhibuerat OSWALDV S , tam benignam
manum amplexatus atque exosculatus fertur juf-
fisse nunquam exinde putrescere. Et parere hæc
visa est, cum cæso sub annum DC.LII. à barbaris
domino, loco infami unà cum capite suspensa an-
num integrum integra (uti & deinceps) perdura-
vit. Ipse OSWALDV S tunc quoque cum in acie oc-
cumberet, supinis pro more in cælum manibus
orare in genibus deprehensus est, eodemque loco
ad hominis altitudinem egesta humus omnes
morbos vicit, ut vel ideo voluisse illic cadere OS-
WALDV S videatur, quò ægri tot inde surgerent.
Ex Sur. & Gras.

*Vide rationem; facile judicabis parricidiali criminis
contemni pauperes nostro arbitrio; quos nullo videmus à
nobis DEI opere discretos. S. Paulin. ad Aletium ep. 31.*

S. AFRA MARTYR. s. Augusti.

Q uam neque Naso dedit Metamorphosin, nos
damus ex Venere Dianam, AFRAM inquam
Augustæ Vindelicorū probrum primò, post uniu-
cum decus. Magdalim dices alteram, nisi quos
hæc lacrimis, illa ignibus etiam ignes plecteret.
Diis devota omnem jam pudorem male prodiga-
litaverat, cum Narcissus Præsul fidem Christianam
exul circumferens tectis impuris, successit.
Hic AFRA, dum prædam captat, precabundi pri-
mò ad mensam modestiā, dehinc verborum de
Deo,

Deo, quibus cibos identidem condiebat, suavitate illecta ipsa capitur; simul amoribus nuntium mittit, simul Christo totam se dedit, exemploque suo mox matrem Hilariam & scelerum nuper socias tres ancillulas trahit. Tantum odor castus unius Narcissi potuit! Doluit sanè hoc nequam genio, qui propalam visendus multis questus est animam olim suam AFRAM sibi extorqueri. Hæc interea opes malè partas bene inter pauperes dividens, vitamque veterem castissimis coloribus emendans, jubetur à prætore Cajo, missò Christo, ad Veneris sacra redire, Vulcano, ni pareat, sacrificanda. Maluit hujus quam illius ignes ferre. Itaque palo alligata cum è pyrâ ardente fumos dæmonis æstusque Cupidinis risisset, flamas inter cælo se intulit, quod mox mater etiam & ternæ famulæ, quod lacrimas rogo & tumulo Afræ affudissent, alio ex rogo evolarunt. Ipsa Venus puto mirabatur ad tot ignes frigere sese. *Ex Surio.*

Dum carnalis vita corrigitur, & usque ad abstinentia atque orationis studium pervenitur, quasi jam in altari caro incenditur, ut inde in omnipotentis Dei sacrificium redoleat. Greg. in Moralib.

SS. JUSTUS & PASTOR MM.

6. Augusti.

IVSTVM & PASTOREM germanos fratres: duo sidera, Castorem & Pollucem dicerem, nisi facilitiori sorte una uterque è cælo adolescentia præluceret. Involverat velut turbo omnem Hispaniam furor Daciani, & Complutum jam per venerat; cum hi pueruli, abjectis ultrò tabellis, è ludo literario in campum prodire properarunt, factis ostensuri, quantum in Christianâ Philosopphiâ